


Christian Schlee Ambrosius Grapenthin

Disputatio Theologica De Imagine Dei In Homine

Rostochii: Myliander, 1611

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737661658>

Druck Freier  Zugang



Chr. Sledanus.
R. U. theol. 1611.

Disputatio Theologica ^{17.}
DE IMAGINE
DEI IN HOMINE,

Quam
DUCTORE ET DOCTORE DEO,
SVB PRÆSIDIO

Dn. **CHRISTIANI SLEDANI**
S. S. Theol. Doctoris & Professoris in almâ Rosa-
rum Academiâ publici,

DEFENDENDAM SUSCIPIET
AMBROSIUS GRAPENTHIN
Stargardia - Pomeranus.

2. Mart. Anno 1611.

Horis & loco consuetis.



ROSTOCHII
Excudebat. Stephanus Myliander.





DISPUTATIO
DE IMAGINE DEI
IN HOMINE.

IMAGO DEI in homine est similitudo omnium virium hominis cum mente divinâ, tanquam archetypo, congruens, atq; primis parentibus à Deo concreata, *Gen. 1. v. 26. 27.* ut homo suum creatorem in justitiâ & sanctitate veritatis representaret & coleret. *Eph. 4. v. 24.*

Ἐπιφανίου.



Quoniam in hoc articulo, qui est DE IMAGINE DEI, de re jam amissâ, omnibusq; hominibus, quoad naturalem cognoscendi vim, absconditâ disputatur; idcirco non solum Epiphanius in epist. ad Johann. Episcop. Jerosolymitanum scribere non fuit veritus, Imaginis Dei in homine rationem planè nullam posse tradi, eamq; esse homini penitus incognitam; sed quilibet etiam in assiduâ Bibliorum lectione facillè animadvertit, quàm Evangeligraphi in primis, etiamsi alios fidei Christiana articulos diligenter explicuerint, pauca tamen admodum de Imagine Dei partim in parabolâ Viatoris semivivsi, *Luc. 10.* partim sub typo Acolasti, itemq; drachma & Ovis perditæ, *Luc. 15.* literis commendarint; quippe quibus principaliter erat propositum, ut historiam redemptionis generis humani per Christum factæ ordine ac decenter persequerentur. Quamobrem & nobis uberior ac plenior hujus loci de Imagine Dei explicatio erit ex propheticiis & Apostolicis commentarijs petenda, & quid

Et, quid secundum illa Patres ac Doctores Ecclesie de hoc articulo statuerint, inquirendum.

DEFINI

TI.
1. ομωυ-
μια

2. Notissima verò est significatiois vocabulum **IMAGI-
NIS**, qua generatim loquendo est rei alicujus simulacrum sive vi-
vum, sive pictum, sive sculptum; seu est representatio vel in a-
nimâ idæam rei concipiente, facta, vel extra animam ab artifice
in materiam quocunq; modo introducta. Unde Et in sacris lite-
ris Imago Dei generaliter significat, qua ipsum Deum refert ac
representat.

3. Estq; si Scriptura stylum attendimus, diversa ratio con-
siderandi Imaginem Dei. Unam non incommode dixeris, ἀρχέ-
τυπον, ἑσώδην, ἄκλυτον, ἀχώρητον, essentialem, increatam, in-
communicabilem; alteram συμβεβηκτικῶν, κτιστὴν, ἔκτρωτον, acci-
dentariam, creatam, habitualem, communicabilem, expressam,
ac potius adumbratam formalis istius imaginis divina effigiem.

4. Illa effulget Et resplendet in solo Christo, Filio Dei, qui
in Novo Testamento Imago Dei, 2. Cor. 4. 4. Imago Dei invisibilis,
Col. 1. 15. Splendor gloria Et character substantia divina Heb. 1.

3. appellatur, partim propter consubstantialem ac realissimam
convenientiam Et similitudinem in Filio cum Patre; quam Filius
cum tertiâ Trinitatis personâ non habet; quod ipsum est myste-
rium nobis planè inexplicabile Et ineffabile; partim propter re-
velationem, patefactionem ac notitiam de Patre, quam à solo
Christo didicimus Joh. 1. 18. utpotè quod qui novit Et videt Fi-
lium, idem Et Patrem; Et qui in Deum Patrem credit, idem Et
in Filium credat. Joh 14. v. 1 9.

5. Hæc autem Dei Imago, quam accidentariam, creatam,
Et c. diximus, fuit in primis nostris parentibus, qui secundum
eam fuerunt creati, Gen. 1. v. 26, Et secundum quam nos indies
renovamur, plenèq; post mortem reformabimur. Col. 3. 9. Quo
autem modo Homo vocetur Imago Dei, Et in quibus ratio Imagi-
nis divina consistat, de eo postea dicetur. Nam de posteriore hac
significatione in hac Disputatione nobis propriè est sermo.

Alij

6. Alij aliter distinguunt Imaginem Dei. Phantologia statuit triplicem, Naturam scilicet, Gratiam, & Gloria. Thomas p. 1. q. 93. art. 1. distinguit inter Imaginem perfectam & imperfectam. Idem p. 1. q. 93. art. 4. & 9. dicit esse aliam Creationis, aliam Recreationis, aliam Similitudinis.

7. Cum verò primi parentes in suâ istâ integritate non longo, à Creatione, tempore persisterint, sed & ante propagationem generis humani planè fuerit hæc Imago in eis, quos didimus prius fuisse generis humani peremptores, quàm parentes, eversa, ut ita non ad Dei, sed ad suam Imaginem genuerint liberos, Gen. 5. inde adeò accidit, ut non multæ extent cognatæ & univocæ appellationes, quæ appellationibus Hominis Integri & Imaginis Dei correspondeant. Communiter tamen hodie in Scholis nominari solet Gratia primi hominis. Quæ appellatio videtur desumpta ex August. lib. 12. de Civ. Dei cap. 9. ubi distinguit inter Naturam & Gratiam, inquit: Istam bonam voluntatem quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bonâ voluntate, id est, casto amore creavit, simul in eis & condens Naturam & largiens Gratiam. Ubi ipsum id Intelligere & Velle Augustinus vocat Naturam; Determinatio verò proprietatum & facultatum hominis naturalium ad bonum spirituale rectè agnoscendum & sincerè eligendum, quia à Deo gratis erat infusa, Augustino dicitur Gratia; quam nos vulgò à gratio-
so communicationis modo, dicimus Imaginem Dei.

8. Genus rectissimè videtur desumi posse ex Categoria **DEFINITIONIS** Qualitatis, seu, ut alijs placeat, ex categoria Relationis: adeoq; **GENUS** definitur excellens præstantia & Rectitudo omnium virium hominis congruens cum archetypo seu mente divinâ, h. e. **SIMILITUDO**; quam vocem Moses Gen. 1. in creatione hominis describendâ immediatè subnectit & apponit termino, Ad imaginem; ut ita illarum duarum vocum (Imaginis & Similitudinis) ingeminatâ quasi repetitione eximiam quandam & pro creatura rationalis conditione summam hominis cum Deo conformita-

formitatem exprimeret. Cum enim omnis Imago semper debeat esse similis prototypo: Atqui ratio Imaginis possit à nobis excogitari & concipi multiplex: idcirco vocabulo Imaginis Dominus adjecit ἐπιμορφωσας ἐν ἑαυτῷ vocem Similitudinis, cum inquit: Faciamus hominem ad Imaginem & Similitudinem nostram, Gen. 1. 27. ut moneamur, talem fuisse hominem conditum, ut in ipso Imago, qua esset Creatori, cœu archetypo, per omnia similis, cerneretur.

9. Verùm si quis absolutè de utrâq; istâ voce quæreret, Sint-ne Imago & Similitudo per se ac simpliciter εὐὐνομοῦσας certum est, quod latius quodammodo pateat. Similitudo, quàm Imago. Nam, ut Thom. p. 1. q. 94. art. 1. annotat, ubi est Imago, ibi continuè est Similitudo: non contrà, ubi datur Similitudo, ibi etiam continuè est Imago. Est enim similitudo de ratione Imaginis, & Imago aliquid superaddit super rationem ipsius similitudinis, sicut species superaddit generi. Eatenus autem Imago distat à similitudine, quatenus aliud est ex alio vel generatione, vel quovis alio μίμοσας modo expressum. Similitudinis autem vox notat rei expressæ conformitatem & congruentiam cum archetypo. Sic e. g. Ovum non est ovi imago, quia non est expressum ex eo, nisi ovum est ovo simile. Sed Imago Regis est vel in filio suo per generationem, vel in nummo aureo per artem fusilem. Similiter est in homine quadam Imago, & per hoc est & similitudo Dei, siquidem hac à Deo sive per Creationem, sive per Regenerationem nobis introducitur.

10. Usitatè autem Theologi hæcenus soliti sunt quatuor significata vocabuli Similitudinis ex sacris literis proferre. Interdum enim significat rei alicujus ideam, formam, speciem seu faciem. Ex. 25. 8. 4. Reg. 16. 10. Ez. 1. v. 5. 10. 13. Interdum notat idolum aut imaginem. Deut. 6. 15. 1. Sam. 6. 5. Interdum designat id, quod est alicui simile, seu quod cum alio quopiam in re aliquâ convenit. Dan. 10. 16. Os. 12. 10. Interdum ipsarum diversarum rerum sive duarum sive plurium convenientiam;

Quo

Quo modo gentes accusantur mutasse gloriam incorruptibilis
 Dei in similitudinem Imaginis hominis. h. e. in Imaginem, ido-
 lum, aut statuam, qua erat similis, seu qua conveniebat homini
 vel alijs brutis animantibus Ro. 1. Eodem sensu Moses scribit ho-
 minem primitus fuisse factum ad Dei imaginem ac similitudi-
 nem h. e. ad imaginem similem aut convenientem Deo Gen. 1.
 Ideoq; Imaginem proprie dixerim certam quandam speciem aut
 ideam alicujus rei; Similitudinem vero esse convenientiam &
 correspondentiam imaginis, & ut ita loqui liceat, Imaginatis seu
 esse proportionem ac rationem inter imaginem, & id, cujus est
 imago. Ex quibus facile colligitur, Num in isto enunciato
 (Faciamus hominem ad Imaginem & Similitudinem nostram
 Gen. 1. 26.) duo isthæc vocabula, Imago Dei & Similitudo
 Dei, unum idemq; significant, ita tamen ut alteram sit alterius
 declarativum? An vero inter utrumq; intercedat reale
 discrimen, ita ut Imago ad essentiam & naturam intellectus &
 voluntatis; Similitudo ad utriusq; facultatis nostra virtutes &
 ornamenta, videlicet ad intellectus sapientiam, & ad voluntatis
 justitiam pertineat? atq; ita consequenter Num, Imagine h. e.
 animâ rationali adhuc superstitè, Similitudo tantùm fuerit
 lapsu protoplastorum deperdita? Nos nequaquam Ima-
 ginem & Similitudinem hoc loco inter se differre, sed sensu omni-
 nò convenire statuimus. 1. quia Imaginis solùm fit mentio in
 ipsa Creatione hominis Gen. 1. 27. cùm tamen in Deliberatione
 de creando homine, qua ipsam creationem v. 26. precessit, utraq;
 vox (Imaginis & Similitudinis) jungatur. Quod si igitur non
 omnia ac singula in decreti executione h. e. in ipsâ creatione
 fuerunt à Mose descripta, quòd fuerint perfecta, qua quidem Do-
 minus in decreto suo enunciavit & proposuit se perfecturum itunc
 vel decretum suum non plenè & totaliter est executus, vel certè
 voluit, ut Moses minùs de creatione hominis nobis revelaret,
 quàm nos oportet de homine creando credere. Utrumq; est absur-
 dum. Ergo quantum utraq; vox conjunctim significat & sonat

in decreto Dei (Faciamus hom. ad Im. & Simil. nostram) tantum & alterutra vox seorsim posita in decreti executione significat, ubi dicitur: Et creavit Deus hominem ad Imaginem suam. II. quia Apostolus jubet nos renovari ad Imaginem Dei Eph. 4. Si verò inter Imaginem Dei & Similitudinem Dei illud esset discriminis, quòd Imago adhuc esset reliqua, & Similitudo planè amissas tunc satius esset nos renovari ad Similitudinem Dei, quàm ad ejus Imaginem. Erit igitur unum & idem Dei Imago & Dei Similitudo. III. quia vocabula Imaginis & Similitudinis in exprimendâ primi hominis creatione indifferenter & promiscuè usurpantur atq; inter se permutantur, ut patet conferenti Gen. 5. v. 1. & 9. 7. Itemq; Gen. 1. 27 & Jac. 3. 9.

Caussa II. Quod ad causam Efficientem Imaginis Dei in homine, eadem est hac cum universali & uno rerum omnium opifice, I. EFFICIENTIENS. Deo uno ac Trino, qui cum hominem creavit, simul etiam Imaginem istam eidem concreavit. Genes. 1. Confer disput. de Homine.

II. MATERIALI. 12. Quod ad Materialem seu subjectum in quo, HOMO NEM primitus dicimus esse ad Dei imaginem conditum, in quo resfulgebat interior anima perfectio, lux videlicet vera agnitionis in mente, conversio ad Deum in voluntate, virium deniq; & Affectuum omnium & virtutum relata ad res divinas feliciter cognoscendas, & fideliter appetendas. Gen. 1. v. 26. 27. & 5. 1. Sap. 2. 23. Syr. 17. 1. Col. 3. 9. Jac. 3. 9.

13. Queritur autem circa Materiale Imaginis Dei, I. An omnes homines sint creati ad Dei Imaginem? Si questio de primâ creatione primi hominis, in quo tanquam stipite humani generis omnes sumus conditi, intelligitur, affirmamus. Sic enim homo fuit conditus, ut Dei imaginem sibi impressam in omnes posteros transfunderet. Fuit enim hoc donum non personale modo, sed etiam naturale; fuit hoc ita individui, ut simul esset speciei. Si de secundâ & proximâ singulorum hominum creatione accipitur, tum vel de ipso actu propositio intelligitur, & sic falsum est

nos esse amicos in Dei imagine conceptos, formatos, ac natos, sed contrarium deplorat David Ps. 51. se in peccatis esse conceptum. Et Salvator esse carnem, quod de carne nascitur, testatur, ut nobis carnalibus opus sit innovatione imaginis divina teste Apostolo. Col. 3. Vel de intentione ac sine creationis agitur, tunc verum est genus humanum ideò propagari, conservari, & singulos creari, ut in ijs amissa Dei imago per Christum instauraretur. Sed tunc non creatos, sed creandos & renovandos esse homines per Christum ad Dei imaginem dicimus.

14. II. Num Eva & sexus foemineus sit capax Imaginis divinae? Moses idipsum disertè affirmat, inquiens: Et creavit HOMINEM ad imaginem suam, Masculum & FOEMINAM creavit eos; ubi probè notetur, quod postquam Moses dixisset (Ad imaginem Dei creavit ILLUM.) scilicet Hominem; mox subdit: Masculum & Fœminam creavit EOS; ne videlicet quis arbitretur, vel solum masculum fuisse ad Dei imaginem conditum, vel utrumq; etiam sexum fuisse in uno isto individuo, Adam, notatum.

15. III. Utrum Imago Dei fuerit in Homine quædam substantia? an verò Accidens? ACCIDENTALEM fuisse probamus: I. quòd solus & unus Deus sit per substantiam, justus & sanctus, & nemo præter Deum dici queat. Sanctitas & Justitia. II. quòd solus Filius Dei sit substantialis Imago Dei. Col. 1. III. quòd non plura fuerint in homine substantialia, præterquam Corpus & Anima, quæ ut hominis substantiam & essentiam constituunt, ita eadem homo à lapsu retinuit, imagine Dei penitus amissâ.

16. IV. Minus igitur dubium esse potest, An Imago Dei fuerit ipse Homo, seu illa ipsa hominis substantia, absq; ullo discrimine? Quod simpliciter negamus. I. quia nulla essentialium partium hominis propriè dici meretur Imago Dei, ut mox demonstrabitur. II. quia hoc solius filij Dei est idiotæ, quòd sit substantialis imago Dei inconspicui. Col. 1, 15. III. quia
homo

homo est id, QUOD creatur ad Imaginem, non autem dicitur ipsa Imago, AD QUAM est creatus. Gen. 1. Neg. enim inquit: Faciamus hominem imaginem, sed Ad Imaginem. Praepositio verò AD designat aliquem accessum, qui est indistanti, inquit Thom: p. 1. q. 93. IV. quia sic, amissâ per lapsum Dei Imagine, Adamus amisisset suam substantiam; hanc verò quia non amisit, sed & animam & corpus, quippe qua per Christum assumpta & redempta fuerunt, retinuit; necessario sequitur, aliud fuisse substantiam animae & corporis ipsius, quam retinuit, aliud Dei imaginem, quam amisit. V. quia si Iustitia originalis fuisset protoplastorum substantia, tunc Deus illos non homines, sed Deos condidisset, cum solus Deus, qui Accidente non perficitur, est per essentiam ipsa sua iustitia, ideoq. solus ipse immutabiliter iustus cum quidem Angelorum & hominum iustitia ob hoc ipsum amitti, citra abolitionem substantiae ipsorum, potuerit, quia ab hac esset quidpiam distinctum.

17. V. Num Imago Dei in homine fuerit protoplastorum Mens ac Voluntas? seu ipsamet Anima cum suis facultatibus essentialibus adhuc nobis in statu peccati reliquis? Ex praecedentis quaestionis resolutione patet, negativam esse veram I. quia Imagine amissâ, animam quoq. simul fuisse amissam consequeretur. II. quia Imago Dei in nobis post lapsum non est, nisi Spiritu sancto reparetur Col. 3, 10. Animâ, ejusq. facultatibus autem non destituimur. III. quia in ijs, qua à naturâ adhuc nobis supersunt, Imago Dei solummodo statui non potest, quippe qua est amissa, ut infra demonstrabitur. IV. quia Imago Dei consistit in verâ ipsius iustitiâ & sanctitate, quam tamen anima cum suis facultatibus non amplius refert.

V. An Imago Dei extiterit aliqua substantialis pars animae, quae nunc per lapsum sit destructa, coeteris animae potentijs salvis? Negatur. I. quia anima est ἀμέριστος, est ὅλως ἕν, partem extra partem non habens; alioqui & tota anima esset abolita. II. quia corruptio itidem seu peccatum, quod in locum amissa

amissa imaginis successit, tantum ad partem aliquam anima se-
se diffunderet, & non totam hominis naturam pervasisset.

18. VII. Num Imago Dei fuerit corporea? seu: An sit
ipsum corpus hominis? Neg. Sic enim sequeretur, ipsum
Deum, ad cuius similitudinem hac Imago fuit condita, esse corpo-
reum. Imago enim εἰκων & debet esse conformis ac similis
ἀρχετύπῳ. Quin & corpus ipsum Adami interijisset, postquam
imaginem sibi concreatam per peccatum amisit.

19. VIII. An Imago Dei in homine fuerit substantia quæ-
dam diversa ab animâ & corpore? Negatur. I. quia Imagini
divina oppositum, Originis scilicet peccatum, itidem foret substan-
tia quædam à corpore & anima hominis alia & diversa. II. quia
Moses nulla alia substantialia in homine agnoscit, præterquam
Corporis formationem, & Anima inspirationem. Genes. 1. & 2.
III. quia Apostolus non substantiâ, sed qualitatibus Imaginem Dei
definit, dum eam in verâ justitiâ & sanctitate collocat, Eph. 4, 24.
Virtutes autem omnes in solo Deo sunt substantiales, & cum Dei
essentiâ convertuntur, adeoq; nec est apud Deum ulla virtutum
transmutatio. Jac. 1. 17. In creaturis enim sunt accidentales, nec
sunt unum quid cum ipsorum essentijs; adeoq; citra substantia
sua abolitionem amitti possunt. Non igitur opera judicamus
precium prolixius demonstrare; An Imago Dei in homine
fuerit Accidens?

20. IX. Sit-ne Imago Dei in toto homine, an in
ejus parte alterutrâ, Corpore scilicet vel Animâ? Quam-
vis in toto homine fuerit ratio Imaginis divinæ: ejus tamen prin-
cipale & adequatum subjectum ac πρῶτον δεξιόν est non Cor-
pus; (cùm absurdum sit affectionem hominis nobiliorem esse collo-
catam in sede ignobiliore;) sed Anima rationalis, secundum quam
principaliter oportet de ejus ratione & conditione propriâ statue-
re, ut ex quest. 6. in caus. Form. ἐκείνῃ demonstratur; Quatenus
tamen ante lapsum decens illa singulorum membrorum corporis
proportio, continuïtas, conformitas, & obsequium reddidit anima

B

erna-

ornatum splendidiorum, eatenus alij ad corpus referunt. Quod
dum dicimus, constat

21. X. Num Imago Dei sit humani corporis linea-
mentis exterioribus expressa? seu Utrum ratio Imaginis
divinæ propriè sit æstimanda ex parte corporis humani?
Negativa, quam hic nostram facimus, stabilitur iisdem argumen-
tis, quibus antè demonstravimus veritatem quæstionis sextæ.
Quamquam enim eo, quo jam fuit explicatum, sensu dici potest,
Adami etiam corpus fuisse ad Dei imaginem conditum; non ta-
men inde efficitur, Imaginem Dei concipi secundum figuram cor-
poream, eamq; primò ac principaliter esse in membris corporeis;
sed quia solius hominis corpus inter terrenorum animalium corpo-
ra non pronum, ut aliorum animalium, prostratum est; sed tale
est, ut ad contemplationem sit aptius, magis hominis corpus ad
imaginem Dei, quàm cætera corpora animalium, factum jure
videri potest, eo quod ipsa figura humani corporis representet
imaginem Dei in anima per modum vestigij. Confer. Thom. p. 1.
q. 39. art. 6. ubi & alia moventur ociosa magis quàm pia ac ne-
cessaria quæstiones, quas nudè proposuisse sat. est; utpote

Utrum solus homo fuerit inter creaturas conditus ad
Dei Imaginem?

Num Imago Dei sit etiam in animantibus brutis?

An Angelus magis quàm Homo secundum Imagi-
nem Dei fuerit formatus?

22. Id solum libet in transitu explicare, Num Homo de-
beat æstimari creaturarum nobilissima? Est quidem magna
est Angelorum etiam excellentia: homo tamen videtur creatu-
ris universis augustior & nobilior: quod ipsum æstimatur I. ab
interveniente consultatione circa ipsius hominis creationem.
Gen. 1. 26. II. à novo isto creandi modo, quem Deus sigillatim in
hominis creatione adhibuit; siquidem Trias nusquam legitur in
creaturis alijs formandis manum suam adhibuisse, quàm in solius
hominis creatione. III. à reparatione imaginis lapsu amissa,
quæ

quam in solo homine restauravit. IV. à Christi *Ἰανθρώπῃς* incarnatione, quod videcliet Filius Dei nostram carnem, non Angelos, dignatus fuerit assumere. Hebr. 2.

23. Quod ad causam Formalem Imaginis Dei, admodum III. FOR-
variant & discrepantes sunt Patrum sententia, Quà nimirum MA.
in re consistat ratio & quasi forma Imaginis Dei in homine? Neq; enim labor est vel mediocriter saltem ingenioso, plurimos respectus accidentales extra verbum Dei effingere, quibus tum Anima hominis, tum Homo ipse similitudinem quandam apud Deum pra se ferre videatur. Qui tamen respectus omnes ac singuli ita sunt comparati, ut eorundem dissimilitudo ex Scripturâ negotio nullo possit demonstrari. Verumtamen placet aliorum de Ratione Imaginis Dei sententias precipuas colligere & breviter exponere.

24. Principiò sciendum, considerari Imaginem Dei vel relatè, vel absolutè.

25. Relatè qui considerant, hi rationem ac formam ejus in aliquâ eminentiâ, dominio, & principatu super alias creaturas constituunt, ut quod Adam fuerit Dominus universi & tanquam Deus terrenus, conditoris ac Creatoris sui conditionem modo quodam ab extra ad alias creaturas exprimens. Quo sensu Imago Dei refertur ad externam Dei ordinationem, non ad interiorum cordis sanctitatem. Quae ipsa ratio & significatio Imaginis Dei quamvis non simpliciter sit à Scriptura stylo aliena, 1. Cor. 11. 7. est tamen secundaria & non principalis; uti ex insequentibus magis patebit.

26. Absolutam qui Imaginis Dei contemplationem & considerationem suscipiunt, eorum alij Imaginem illam in Substantiâ, alij in Qualitate collocant.

27. Qui eam ad Substantiam referunt, hi ipsi eandem de Anima rationali, quae & una est in se & trina in suis facultatibus, interpretantur. Ut enim, inquit, in Deo una est natura in tribus personis: sic in homine datur & anima unitas & in eâ-

dem facultatum principalium trinitas. De quâ opinione plenius in Controversijs, quas paulo post ordine subiiciemus, agemus.

28. Ratione Qualitatis, Imaginem Dei in homine interpretantur de donis concreatis & connaturalibus; quo modo Imago Dei est omnium virtutum in homine conformitas, quâ primus Adam Dei iustitiam & sanctitatem quasi in speculo representavit. Atq; hæc est omnium verissima & propriissima ratio ac significatio Imaginis Dei; quemadmodum hoc ipsum rectissime cognoscitur ex eiusdem in nobis gratiosâ restitutione. Nisi enim per Spiritum Sanctum renovemur, nulla in nobis amplius est Imago Dei. 2. Cor. 3. 18. Ephes. 4. 24. Col. 3. 10. Renovatio autem hæc consistit in novarum ac spiritualium qualitatum communicatione, ut ex testimonijs modò præmemoratis constat. Propriè igitur loquendo: Imago Dei non istis respectibus est describenda, nec ad istas res transferenda, quæ animæ hominis etiam post lapsum naturaliter insunt, & in non-renatis etiam sive ut substantialia, sive ut accidentalia animadvertuntur.

29. Ex quibus discimus, proprium & genuinum formale Imaginis Dei esse illam ipsam totius hominis congruentiam cum Lege Dei, & qua eam necessariò insequitur, Approbationem Dei diligentis Imaginem à se hominibus concreatam: Idq; magis magisq; ex Controversijs, quæ circa Formale hoc moveri & agitari solent, patet.

30. Disputatur enim hoc loco:

I. Utrum Imaginem Dei considerare conveniat in homine, quantum ad Trinitatem personarum in unâ essentiâ divina? seu Num Imago Dei sit æstimanda ex ratione SS. Trinitatis? Nos verò magnam dissimilitudinem ac diversitatem inter Imaginem Dei & Trinitatem agnoscimus & credimus. I. quia ista, quam alij hic statuunt, Imago Trinitatis semper fuit ac manebit in anima. At Imago Dei non mansit in animâ, quin fuit amissa. Ergò Imago Dei non attenditur in ani-

ma

ma sub conditione Imaginis Trinitatis. II. quia unus homo per anima facultates intelligit, meminit, diligit; qui tamen non est Intelligentia, non Memoria, non Dilectio. At in Trinitate tres persona sunt unus Deus. Aliud igitur est Trinitas, res ipsas aliud Imago Trinitatis in re alia. Lombard. lib. 1. dist. 3.

31. II. Num respectu Christi incarnandi debeat exponi forma & ratio Imaginis Dei; ut scilicet per Imaginem Dei nihil aliud intelligatur, quam Christus in carne nasciturus; & quod Deus Adamum creando respexerit ad λόγον aliquando incarnandum, tanquam ad Imaginem? R. Est quidem ο λόγος, aeternus ille Filius Dei, Imago Dei substantialis Ebr. 1. 2. Col. 1. 11. e st & in λόγω iam incarnato perfecta Dei Imago, perfecta Dei patris iustitia & sanctitas vera, qua in Christo satis subinde resplenduit, quantum videlicet status exinanitionis suae permisit. Veruntamen quod Deus creando hominem, ad hanc Christi in tempore incarnandi Imaginem respexerit, id ex Scriptura non probari hactenus potuit. Unde falsum istud enatum fuit quorundam axioma & enunciatum; Christum fuisse nasciturum hominem, etiamsi homo non peccasset: quod pugnat cum sapientissimo decreto S. S. Triados de missione Filij in carnem; quod factum esse intuitu non Creationis hominis, sed humanae miseriae, à qua erat creatus homo redimendus ac liberandus, Scriptura tradit Rom. 4. vers. ult. Gal. 4. 6. Hinc illud est Augustini effatum: Si Adam non peccasset, Christus in mundum non venisset.

32. III. An Imago Dei fuerit in homine donum quoddam SUPERNATURALE? an verò concreatum & CONNATURALE? seu An fuerit ornamentum quoddam externum & adventitium, donum extrinsecus additum super Naturam in se absq; illa etiã Imagine integram, quod citra naturae corruptionem potuerit tolli, haud secus ac si corona de capite virginis auferatur, ipsius interim incorrupta permanente pudicitia? seu An fuerit externum, quoddam & Integumentum, ne affectus vitiosos (quos Pontificij

comminiscuntur Adamo integro concreatos) apparerent; & Fre-
num, quo ydem affectus coercerentur ceu equus indomitus; &
Medicamentum, ne affectus prorumpentes hominem eneca-
rent, ut amissâ hac Imagine nihil quidquam tamen Natura hu-
mana decesserit, sed eadem talis integra permanserit, qualis pri-
mum a Deo fuit condita? An verò naturalis & concreata
animæ hominis vis & facultas ejusmodi, ut Mens Adami
naturaliter plena fuerit agnitione Dei, & Voluntas cum Lege
Dei consenserit, omniumq; Affectuum motus fuerint ordinati,
sancti, integri? Nos cum Orthodoxis credimus ac docemus, Imagi-
nẽ Dei in homine fuisse de hominis essentiã & naturã, non quod
illa ad constitutionẽ essentiæ hominis, tanquam pars essentialis, per-
tineret; sed ad intrinsecam totius naturæ & essentiæ humana per-
fectionem, reëitudinem, & cum Deo conformitatẽ fuerit requisita;
vel quando Imago Dei, h. e. Innocentia primi hominis dicitur ei
fuisse naturalis, simpliciter hoc vult propositio: Naturam proto-
plasterum fuisse Dei gratiã ac dono ita conditam, ut insitã suã fa-
cultate innocens, sancta, justa, verax, Deoq; placens esset. Atq;
hanc nostram sententiam, quod Imago Dei, h. e. Legis divina
noticia & approbatio conjuncta cum singulari delectatione, fue-
rit primo homini naturalis, non supernaturalis, confirmat. I. Anti-
thesis Imaginis Dei & privationis, qua ei post lapsum successit.
Ut enim nunc post lapsum est quasi indoles, vis naturalis, & ani-
mo hominis congenita, Deum ignorare & odisse, 1. Corint. 2, 14.
Rom. 8, 7. ita olim ante lapsum fuisse hanc hominis ev Quia & in-
dolem propriam ac naturalem, Deum nosse & amare, necesse
est. Sicut enim cum vitium oculorum dicitur cæcitas, inde osten-
ditur, quod ad naturam oculorum pertineat visus: ita cum vi-
tium creatura rationalis dicitur, quod non adhæreat Deo, hinc
apertissimè declaratur ejus natura, ut Deo adhæreat, convenire.
Unde Augustinus de Correptione & Gratiã cap. 11. Adam, in-
quit, erat in bonis naturæ; Nos in malis naturæ sumus.
II. Idem arguunt rudera seu reliquia, qua in cordibus, etjam
Ethni-

*Ethnicorum animadvertuntur. Unde sic argumentamur: Ut
justitiam & sanctitatem veram h. e. Imaginem Dei τῆ Φύσος
comitatur approbatio conscientiae & tranquillitas: ita injustitiam
Φύσος accusatio. Sed hæc ipsa, quam dixi, accusatio animadver-
titur in Ethnicis, qui sunt sine Deo, estq; in illis vi natura. Rom.
2. 15. Ergò illa approbatio conscientiae & per hoc Imago Dei primo
homini fuit naturalis. III. Intelligendi facultas & cogitatio non
sunt tantum externa hominis ornamenta, sed interna animi vires,
facultatesq; naturales & essentielles. Atqui de Intellectu pronun-
ciat Apostolus τὸ Φρόνημα τῆς σαρκὸς, h. e. Intellectum carnis
esse inimicitiam adversus Deum. Rom. 8. 7. De Cogitatione idem
asserit, nos non esse idoneos à nobis boni aliquid cogitare. 2. Cor 3,
5. sed omnis cogitatio & sensus à puero est malus. Gen. 6. 5. Ergò
interna ac connaturales facultates in anima intelligente & cogi-
tante sunt destructa. Priusquam verò hæ ipsa corrumpentur ac
destruerentur, erat Imago Dei: illa igitur fuit non adventitius
quidam ornatus, qui citra destructionem virium hominis possit
abesse, sed fuit integritas & perfectio virium ac facultatum ani-
mi in corpore. IIII. Augustinus in Enchirid. cap. 11. Ani-
morum, sit, quæcunq; sunt vitia; naturalium sunt priva-
tiones bonorum. Ubi Naturalia bona intelligit de concrea-
tâ protoplastorum natura perfectione, justitiâ, sanctitate, &c.
quibus bonis opponit vitia animorum, injustitiam, impuritatem,
tenebras, &c. sicut morbos sanitati opponere convenit. Et hæc
quidem Vitia ac Bona animi humani opponit, non quatenus illa
quidem naturam perficiunt, hæc verò eandem evertunt: sed
quatenus eadem natura insunt.*

33. *IV. An in homine integro simpliciter nulla
fuerint dona supernaturalia? Qui quidem id negare ausit,
na is prius inhabitationem S. Trinitatis esse donum quoddam su-
pernaturale neget necesse est. Neq; vero adeò impij sumus, ut
dicamus aut statuamus S. Trinitatem fuisse connaturalem Ada-
mo: neq; eadem potuit ullo modo dici proprietas natura & essentia
homi-*

hominis sive constituens sive consequens. Atqui certum est, Spiritum sanctum, quum is nos homines corruptos, quando in nobis renatis Imago Dei reparatur, inhabitet Job. 14. 1. Cor. 6. multò magis habitasse in Adamo ceu in templo suo; quamvis Renatis adsit tanquam Reformator, purgans & sanctificans immundam naturam; in Integro autem homine adsuerit tanquam luce sua gratia, carnalem perfectionem illustrans & summam animi letitiam confirmans. Fuisse igitur dona quoq; supernaturalia in primo homine, non negamus.

34. V. An primis parentibus collata fuerit Dei gratia, gratum nos ei faciens? Si Gratia intelligitur de Gratia reconciliationis, eà scilicet, qua hominem Deo invisum reddit acceptum Deo, negatur homini collatam fuisse illam gratiam. Si de natura hominis cum Lege Dei perfectione atq; conformitate, agnoscimus eam in protoplastis,

35. VI. Quibus premissis, liber jam hoc loco prolixius classicam illam, quam paucis antea annotavimus, controversiam explicare, In quonam essentialis veritas Imaginis Dei consistat? seu: Quibus respectibus propriissimè definienda sit Imago Dei? Propriissima conditio ac ratio Imaginis divina est, quòd sit non ipsa facultates & vires anima humana intelligentis ac volentis; sed earum virium, proprietatum, seu facultatum anima naturalium, ad bonum summum, supernaturale & spirituale, verè ac perfectè, quantum in humanam conditionem cadere potest, intelligendum, & sincerè ex totis viribus eligendum Determinatio. Quae quidem ante lapsum nondum planè erat confirmata, ita ut ad malum cognoscendum & amplectendum transire amplius non potuisset; qualis Determinatio in bonis angelis atq; beatis hominibus animadvertitur, sed hominis libero arbitrio fuit subjecta, ita ut naturâ duce & impellente primus homo bonum spirituale ex se intelligeret & appeteret, voluntatis tamen libertate à bono se avertere & non bonum amplecti posset. Quae peccandi facultas in homine vndum ad bo-

num confirmato non tam potentia, quam à duobus est appellanda. Voluntas enim naturaliter suo appetitu ad Bonum, non ad Malum fertur, siquidem cujusq; rei appetitus fertur ad perfectionem appetentis. Malum autem non perficit, sed nocet appetenti. Numerant v. & recensent quidam varios Imaginis Divinae, seu hujus, quam dixi, Determinationis gradus ac partes; Commodissima tamen videtur hac esse posse distinctio, qua secundum Intellectum & Appetitum instituitur juxta illud Apostoli, In Justitiâ & Sanctitate Veritatis. Eph. 4, 24.

Imago Dei ratione Intellectus consistit in SANCTITATE, i. e. in Cognitionis & Plenitudine, quod Protoplastus res omnes creatas nosse potuit; & Rectitudine, quod easdē, ita ut verè sunt, sine errore cognoscere potuit: & Claritate, quod omnes distinctè & perspicue intelligere potuit. Quae Sanctitas & Sapientia in primi hominis naturâ satis luculenter fulgebat. Deinde solidam habuit Dei & natura notitiam. Ac proinde Adam sicut ratione anima intelligentis intellexit res creatas; ita ratione Imaginis Dei easdem & plenè, & rectè, & clarè (nota istam, quam dixi, determinationem) intellexit.

Appetitus alius est rationalis, quem Voluntatem dicimus, alius Sensitivus. Imago Dei ratione appetitus rationalis desinitur ab Apostolo JUSTITIA: & duas quasi partes habet. 1. Rectitudinē seu impetum voluntatis ad propriū objectum, quod est ipsum à se ipso cognitum. 2. Liberam istius impetus ad idem objectum sine externo & interno impedimento & sine repugantiâ electionem & executionem, quae est ultimus actus & perfectio voluntatis. Et sic Adami voluntas, ut per se voluit bonum, ita ratione Imaginis Dei idem illud & rectè cum impetu, & liberè sine impedimento voluit.

Perfectionem deniq; ratione appetitus Sensitivi innuit Apostolus dictione VERITATIS, quae particula ἀλήθεια utriq; membro, videlicet Sanctitati mentis & Justitia voluntatis, est accommodanda, ut sit sententia, Hominem creatum esse in verâ sanctitate, & in verâ justitiâ. Hujus autem re-

C

pectus

ſpectus itidem duas partes habuit Imago Dei. 1. Inſupulas ſeu cupiditatum, cibi, potus & rei veneræ cum intellectu & voluntate ordinatâ conformitatem. 2. Harmoniam πῶδες ſeu Affectuum, qui non ab imperfectione aut ſubjecti aut objecti oriuntur, ut ſunt Triftitia & Invidia: ſed qui ſuâ naturâ ſubjectum perficiunt, Amor boni videlicet, & Odium mali. Amor tantò erat ardentior, quantò objecti amandi perfectio major: Itaq; Deum tanquam ſummum bonum, ſummè amabat; Diabolum verò tanquam ſummum boni hoſtem, ſummè oderat.

37. VIII. Poſtquam igitur quaſtione præcedenti fuit oſtenſum ut Imago Dei ſpecialiter ac ſingulariter determinet vires ac facultates animæ, & que illas conſequuntur, corporis humani Temperamentum ac conſtitutionem; nunc deinceps qua circa Animam & Corpus Protoplaſtorū in ſtatu integritatis ratione Imaginis Dei controverti ſolent proponamus, factò initio à controverſijs circa ANIMAM; Et quidem de INTELECTU queritur. Quarum rerum cognitio ac ſapientia fuerit in protoplaſtis? Lombardus lib. 2. diſt. 25. triplici cognitione hominem ante lapſum fuiſſe præditum refert, nempe Creaturarum, Creatoris, & Suiipſius. Creaturarum inquam; Non enim Creator, non Angelorum quiſquam, ſed ipſe primus Homo omnibus ac ſingulis animantibus nomina impoſuiſſe legitur: *QUONOMAΘΕΣΙΑ* non fuit arbitraria, vana ac vaga, ſed juxta ſingularum creaturarum proprias naturas; quamvis poſt lapſum ut hac rerum notitia fuit valdè obſcurata, ita deinceps nomina fuerunt rebus impoſita, ſignificantiæ non *Φύσας*, ſed *Ἰεὸς ἡγῆσας ἡμῶν*, teſte Philoſopho de Interp. c. 2. ſ. 3. & c. 4. ſ. 3. Creatoris verò; Nam ipſe Adam probè novit ex interiori Dei inſpiratione, à quo fuerit creatus, & quid ipſi, ceu Creatori, viciffim deberet juſte creationis. Sui deniq; ſiquidem rectè novit, quantum tribuere deberet ſuperiori, quantum aquali, quid inferiori; imò & conditionem ordinemq; quo fuerat conditus, non ignorare potuit.

38. IX. Utrum Adamus Deum viderit in divinâ ipſius

ipsius essentiâ? *Visio Dei alia est per essentiam, alia per creaturam, ut Thom. p. 1. q. 94. art. 1. loquitur. Est igitur primus homo Deum altiori quadam ratione cognoscebat, quam nos eum post lapsum cognoscimus; ille enim non Deum per conclusionem seu demonstrationem ab effectu tantum cognoscebat, uti nos, sed sine tali medio demonstrationis, non tamen simpliciter absq̃ medio, sed simul in effectibus, præsertim intelligibilibus Deum suo modo cognoscebat, haut secus ac si homo per speculum & simul cum speculo unâ videtur: attamen se non per essentiam Deum vidisse argumento est horribilis iste lapsus, in quẽ voluntariè incidit: posita enim hac hypothesi (divinam essentiam esse ipsam Beatitudinem) sic concluditur: Ut se habet Intellectus videns divinam essentiam; sic sese habet quilibet homo ad beatitudinem. Atqui nullus homo suâ voluntate potest à beatitudine averti (Nam naturaliter & ex necessitate homo simpliciter vult beatitudinem & fugit miseriam.) E. nullus homo videns Deum per essentiam potest suâ voluntate averti à Deo, id est, labi.*

Vivebat Adam in innocentia statu vitam beatam non simpliciter, ac si Beatior fieri non posset, sed in quantum habebat integritatem & perfectionem quandam naturalem. Viso enim illa seu absoluta & perfecta beatitudo erat. Adamo pro premio proposita. Atq; ex hujus questionis proposita decisione per se elucescit veritas duarum cognatarum questionum,

I. Num Adam fuserit perfectè & plenè beatus in statu innocentiae? quod modò negatum est,

II. Num status innocentiae ante lapsum, & status futuræ gloriæ in vitâ æternâ sint æquales? quod similiter negatur. Adamus enim in statu suæ innocentia, I. fuit colonus, qui agrum coleret; in alterâ autem vitâ est cessatio ab omni labore. II. Comedit de fructibus paradisi; nullus autem in alterâ vitâ erit usus cibi ac potus. III. Prolem suscipere amore conjugali potuisset, juxta illud Gen. 1, 28. Crescite &c. in alterâ vitâ neq̃ nubent

nubent neq; nubentur Matth. 22. Sed revertamur ad quaestiones principales de Imagine Dei, quatenus illa relacet in intellectu.

39. *Queritur itaq;*, Num protoplasti habuerint omnium rerum naturalium scientiam? Ad quaesitum Thomas distinctè respondet p. 1. q. 94. artic. 3. cum inquit: *Qua neq;* naturali hominis studio cognosci possunt, nec ad vita humana gubernationem sunt necessaria, ut sunt futura contingentia, & hominum cogitata interiora, & singularia quadam (e. g. quot lapilli lateant in flumine &c.) primus homo non cognovit. *Qua autem naturaliter homines possunt cognoscere, quae sunt ad communis vita gubernationem necessaria, earum perfectam habuit scientiam.* Sicut autem primus homo ita conditus est ab initio, ut statim posset generare: ita etiam à Deo fuit ἀπεὸς institutus quantum ad animam, ut alios posset & instruere & gubernare. Non potest autem quis alios instruere, nisi ipse habeat scientiam. Etenim res primitus ita sunt à Deo condita, non solum ut in seipsis essent, sed etiam ut aliorum essent principia. Homo autem potest esse principium alterius, non tantum per generationem carnalem, sed etiam per instructionem & gubernationem. Ideò homo sic institutus est à Deo, ut haberet omnem scientiam eorum, in quibus natus est institui.

40. X. An principia naturalia, quae Græci appellant *ἁπλοῦς ἐνοεῖς ἢ καὶ ἀλήθειαι*, in Adamo fuerint singularia, clara, & perfecta an verò cōmunia, obscura & imperfecta? *Principiorū naturalium ratio essentialis tribus modis in nobis post lapsum circumscribitur, esse scilicet notiones illas & cōmunes, & obscuras, & imperfectas.* e. g. Principiū naturale cuiusvis mortaliū dicitur, Deum esse colendum. Sed hoc ipsum principium in unoquoq; est & cōmune, quia Deum non docet singulariter, tanquam si digito indicaret, hūc Deum ipsam esse; & Obscurum, quia id ipsum quod nobis indicat, non tamen perspicuè ostendit; Neq; enim ex huius principij luce satis videmus ac intelligimus siue subiectum, siue actiones eò pertinentes; & Imperfectum, quia non ostendit plene

plene Deum, quem ex parte intuemur & spectamus. Id sese ita ut recensuimus habere, Apostolus luculentissime demonstrat, Act. 14. & 17. Rom. 1. Quibus concessis, nec illud inficiari potes, fuisse in Adamo communem naturam & rationem, & in posteris ipsius fuisse futuram, si in integritate primigeniam constitissent. Ex quibus conficitur habuisse Adamum, non minus quam omnis homo, principia; eaque licet in ipso incorrupta & integra erant, finibus tamen natura erant contenta: ac per hoc erant principia in ipso Communia; si enim singularia fuissent, jam non fuissent principia, sed conclusiones, ac determinationes ratiocinationis ad veram & justam scientiam pertinentes. Erant eadem in ipso Obscura; Si enim fuissent clara & evidenter, plane non jam principia fuissent solum, sed media quoque, infuissent ei, quae media proprie non ad intellectum velut principiorum sedem perpetuam, sed ad rationem consensu omnium pertinent. Erant denique eadem Imperfecta, non imperfectione vitiosa, aut imperfectione natura, sed imperfectione rei, i. e. Comparate, ad illam infinitam perfectionem Dei rerumque divinarum, ad quam perfectionem nulla res creata potest vi naturae suae & naturalium principiorum pertingere, nec per se comprehendere. Fuit itaque natura hominis ita ab initio à DEO condita, ut naturae principia in sese habuerit, sed integra omnia & incorrupta; Quae quidem in Adamo coli & augeri secundum naturam conditionem oportuit similiter, potuitque natura integra ex principiorum cum rebus & signis comparatione successive ratiocinationis opere componere, dividere, concludere, determinare. Quae naturae operaria ratio, & rationis cultura pervexit principia illa à communitate ipsorum ad opera singularia, ab obscuritate in lucem, ab imperfectione in aliquam perfectionem, secundum naturalis facultatis modum, ut ex principiorum semine & rationis culturam in mente hominis conficeretur scientia.

41. XI. Denique in dubium vocatur, An natura integra Adami, dono ac munere principiorum naturalium, assequi & pervidere potuerit ea, quae à Deo supra naturam

erant posita? An verò illa supernaturalis rerum sapientia à Deo fuerit Adæ sigillatim communicata & concreata? Nos naturâ & conditione talium principiorum accuratius expensâ concludimus, principijs istis atq; notionibus naturalibus neq; perfectionem inesse, capacem rerum simpliciter divinarum: neq; etiam habilitatem aut potentiam ullam ullo modo, ad peruestigationem rerum divinarum suscipiendam, sed eam planè necesse habere, ut à supernaturali communicationis, inspirationis, infusionis aut revelationis gratiâ, tum perfectionem, si quam susceptura est, tum potentiam delectandâ, id est, aptam ad illius perfectionem suscipiendum suscipiat.

42. XII. Circa VOLUNTATEM hominis integri dubitatum olim fuit, Num Adam potuerit velle malum? seu, An ejus voluntas sese ad Bonum & Malum liberè & æqualiter habuerit? Hic oportet distinguere, quando cum vulgo dicitur: Voluntatem sese liberè habere ad utrumq; oppositorum. Est enim oppositum duplex, ut ex Logicis discimus: Contrarium & Contradictorium. Contrarium objectum voluntatis est bonum & malum; & hujus oppositi respectu Voluntatis non dicitur libera, quia libertas est virtus voluntatis: itaq; non dici potest libera voluntas respectu boni & mali; quia mali electio est ex vitio, non ex virtute voluntatis. Libertas ergo voluntatis in Adamo erat ratione objecti contradictoriij, quod posset aliquod bonum particulare vel eligere, si ita videtur rationi, vel non eligere, id est, quod posset unum bonum particulare alteri bono præferre, e. g. quod posset huic animali hoc nomen imponere vel non imponere, quod inter arbores paradisi posset de hujus fructibus edere, de illius non edere, id est, quod unius arboris fructus possit alteri præferre. Itaq; libertas voluntatis non importat objecta contraria, sed contradictoria.

43. XIII. Ex præcedentis controversiæ decisione intelligitur, Num Adam in statu integritatis potuerit decipi & Legem Dei transilire? Cui questionis satisfacit Thomas p. 1.

q. 54. art. 4. Atq; idem autor ibidem quæst. 95. art. 3. disputat,
Num Adam haberit omnes in se virtutes morales?

44. XIV. Sed hisce quæstionibus valere-jussis, accedimus ad controversias circa AFFECTUS seu passiones primi hominis, ubi principio dubitatur, An $\pi\acute{\alpha}\theta\eta$, affectus seu passiones animæ fuerint in homine integro? Cum non una sit Affectuum ratio, sed eorum alij subjectum suâ naturâ perficiant, ut Gaudium, Desiderium, Amor boni & Odium mali; alij ab imperfectione aut subjecti aut objecti oriantur, ut sunt Tristitia & Invidia. Timor & Dolor; prioris generis affectibus non destitutum fuisse primum hominem statuimus, nisi quis eum quâvis beluâ deteriozem, & lapide duriozem fuisse opinaretur. Confer Thom. p. 1. quæst. 95. artic. 2.

45. XV. Deinde magna est lis & contentio inter Ecclesia Doctores, Utrum prava quædam concupiscentia fuerit in primo homine? seu, Num in ipso fuerit inferiorum virium adversus superiores rebellio, atq; præceps quædam in vitia inclinatio? N. Principio enim nos duplici bonitate & perfectione integrum ac perfectum fuisse Adamum credimus; una generali & communi, quam habuit cum omnibus creaturis, juxta illud: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona; alterâ singulari, quod esset non tantum creatus, sed præ alijs creaturis animatis ad DEI imaginem creatus. Deinde Sap. 2. v. 23. dicitur Deus hominem condidisse ἐν ἀφρασία, in integritate. Tertio Deus natura conditor constitueretur peccati autor, si materia ita esset à Deo secundum Pontificios condita, ut concupiscentia motibus impelleretur & arderet. Nam ut August. in Ench. cap. 12. Omnis natura vitiosa, in quantum natura est, Bona est: in quantum vitiosa est, Mala est.

46. De CORPORE protoplastorum, quoad primum illorum & integrum statum, disputatur vel ex parte Temperamenti, quod ejusmodi fuisse in illis credimus, quod neq; ad virium defatigationem, neq; ad morbos, neq; ad mortem proximè fuerit disposit-

dispositum; vel ex parte Dispositionis singulorum Membrorum inter se pulchrè ac legitimè coordinatorum: vel ex parte Loci, h. e. Paradisi, in quem veluti in regiam quandam Adam fuit collocatus.

47. Ex parte TEMPERAMENTI disputatur, An in homine integro fuerit naturalis quædam dispositio ad morbos & ad mortem? seu Num Adam naturâ fuerit mortalis? seu Num immortalitas fuerit primis parentibus naturalis? an verò donum quoddam singulare? Immortalitatem atq; incorruptibilitatem fuisse protoplastis omninò naturalem, communis est & pia Orthodoxorum sententias; quam tamen non omnes uno modo explicant. Alij se in hac controversiâ decidendâ expediunt I. Distinctione Immortalitatis, ut quod immortalis quis dici possit bifariam. Uno modo, quo possit non mori; altero, quo non possit mori. In posteriore necessitas simplex est; in priorè autem ex hypothesi. Illud verò Immortalitatis genus tribuitur ἀθάνατος, quo potuerunt non mori, si videlicet non obnoxij facti essent peccato. II. Per Dispositionis distinctionem, quæ ad morbos & mortem in homine ante lapsum fuit vel remota vel proxima. Proxima tunc nulla fuit, sicut nunc est; fuit autem remota, quæ in actum non potuisset deduci, nisi homo incidisset in peccatum; quod prævidens Creator ad naturæ sustentationem cibos ipsi preparavit. III. Duplex est hominis consideratio; Una, partium hominis secundum se, sive animæ, sive corporis; altera ipsius compositi. Quod ad partes, Anima per se ἀθάνατος & naturaliter, ut spiritus, immortalis. Corpus verò naturaliter θνητόν fuit mortale atq; corruptibile, quippe quod ex elementis mixtum in sua principia resolvi possit. Quod ad compositum, quatenus homo ex corpore mortali & animâ immortalis fuit compositus; dicimus naturâ conditum hominem immortalem, hoc est, naturaliter fieri non potuisse, ut immortalis hominis anima à corpore naturaliter mortali divelleretur, nisi peccati culpâ intercidisset. Etenim Mors definitur dissolutio animæ à corpore, adeòq;
estimat

affimatur ex conditione anime cum corpore unita, non ex principijs corporis in se considerati. Atqui naturalis, interna & con-
 creata anima rationalis vis & essentia hac est, quod 1. sicut intel-
 ligens, ita & immortalis 2. quod corpus ut informat, ita & vivi-
 ficet. Immortalitas igitur Adami integri fuit conditio natura-
 lis; Mortalitas contra & corruptio fuit præter & contra creatio-
 nis conditionem, neq; à natura fuit per se. Deinde qui natura-
 liter est verè justus & sanctus, is naturaliter non potest esse infir-
 mus & mortalis. Mors enim est stipendium peccati, Rom. 6, 23.
 Atqui Justitia & Sanctitas fuit protoplastis connaturalis. E.
 Præterea si peccatū non fuit homini integro naturale, nec mors po-
 tuit esse debitum natura, quia mortem, ceu peccati pœnam, Deus
 peccato statuit, ut ejus periculo hominē à peccādo deterreret Gen. 2.
 At prius est verum. E. Deniq; & Augustinus nostra sententia fa-
 ves, dum in hac verba scribit lib. 13. de Civ. Dei c. 15. Constat
 inter Christianos catholicam tenentes fidem, eam ipsam nobis
 corporis mortem, non lege naturæ, (id est, naturali hominis
 conditione) sed merito inflictam esse peccati.

48. Porro in Scholis dabitur, cūm constet hominem fuisse
 Immortalem à Deo conditum, Num quid ei opus victu fuerit
 in statu perfectionis? Fuit isthac prima à Basilio homil. 11.
 dicta Νομοθεσία seu Lex, qua Deus homini nondum lapsō na-
 turalem esum fructuum ex Herbis & Arboribus concessit, Gen. 1.
 v. 29, 30. & 2. 16. Sed hic notetur, quod Lutherus & Lyræ
 discrimen ciborum ex fructibus agri constituant secundum di-
 versam Hominis & Brutorum conditionem. Existimant enim
 Hominem fructibus arborum, Herbis jumenta victitasse. Ex
 eo autem quod constat protoplastos in innocentissimo vitæ statu ci-
 bum ac potū naturaliter in sui corporis sustentationem assumpsisse,
 exinde inquam duo exsurgunt consecraria quoad geminos ho-
 minis status, Corruptionis scilicet & Glorificationis. In statu Cor-
 ruptionis, ac præcipuè à tempore diluvij, primò cepit esse in usu
 Macellum atq; σαρξοφαγία, (Carnium esus:) qua tamen eò fuit

D

tunc

eunc vilior & rarior, quo homines fuerunt frugaliore isti atate propinquiores; qua victus tenuioris ratio solet accenserit causis longevitatis Patriarcharum. Nos vero amplius non cibi genere, sed aviditate immodesta hodie culpamur, eo quod nescit cupiditas, ubi finiatur necessitas, ut inquit August. lib. 16. de Civ. Dei c. 37. & lib. 4. contr. Julian. c. 14. In altero demum Glorificationis statu, non potestas quidem, sed solum egestas ac necessitas edendi & bibendi auferetur corporibus nostris, ut non nisi velint, possibilitate, non necessitate vescantur; siquidem tunc corpora erunt spiritualia & c. 1. Cor. 15.

49. Obiter & quasi in transcurso monendi sunt Philotheologi, esse inter Theologos controversiam, Herbisne tantum, an vero & carnibus animalium vescerentur primi homines ante diluvium? seu Num usus carnum fuerit Patriarchis antediluvianis plane interdictus? Difficilem hanc judicamus cum Theologis, & in utramque partem ancipitem questionem, de qua inter ipsos Orthodoxos, cum res sit questionis non fidei, nondum convenit. Plerisque placet, carnum esum fuisse a Deo ante diluvium interdictum. Alij statuunt contrarium, ita tamen ut contendant, licet *οὐροφαγία* non fuerit, ex eorum opinione, plane inusitata: non tamen adeo eam fuisse pervulgatam, sicut demum post diluvium, posteaquam herbae omniaque terra nascentia sunt corrupta suorum primo sapore efficace orbata.

50. Denique disceptatur, Num homo in integritatis statu ex causis naturalibus dormierit? aut fuisset dormiturus? Quamvis Adam ex singulari Dei operatione obdormierit, quando Deus ex illius costa edificabat Evam Gen. 2, 21. qui somnus a plerisque habetur extraordinarius ac preternaturalis; & recte; ut cuius textum Biblicum inspicienti patet: nihilo tamen minus Hominem in statu vita optimo fuisse facultate dormiendi praeditum arbitramur. I. quia Deus ut diem ad vigiliis, ita noctem ad somnum constituit, jure prima Creationis. II. quia Deus sua quiete,

quiete, Sabbathiq; institutione hominibus quietem ac somnum indulfit. III. quia Christus ἀναπαύσθη & dormivit Matt 8.24. IV. quia sic erat hominis natura primitus condita, ut conservaretur alimentis; quorum confectio & subactio, quam somnus maximopere juvat, tantum restituisset in naturá etiam integrá, quantum decessisset, neq; plus, neq; minus.

51. Ex parte dispositionis **MEMBRORUM** in corpore protoplastorum quaritur, Num quædam pars corporis in Adamo ante lapsum fuerit obfcœna, cujus potuisset eum pudere? Nostra quidem nuditas fœda est & turpis, neq; sine ignominia & rubore cogitari potest adeoq; tegenda & omni loco occultanda. Nuditas verò Ada & Eva, de quâ Gen. 2. minimè ipsis fuit probrosa & ignominiosa. Dicitur enim quod non erubuerint, seu, ut Thargum Jerosolymitanum reddit, nesciverunt quid esset opprobrium & pudor. Gen. 2. vers. ult. Et quid eos puderet, quum nullam legem senserint in suis membris, repugnantem legi mentis suæ?

52. Ex parte **LOCI**, quem Deus primis hominibus incolendum assignavit, venit notatio **EDEN**; quam vocem **LXX.** reddiderunt per vocabulum **PARADISI**. Appellationem **EDEN** alij putant fuisse proprium nomen Regionis alicujus in Oriente sitæ, alij esse nomen appellativum opinantur, dictum à Voluptate, delicijs, amœnitate, ac significare locum deliciarum, seu locum amœnissimum.

53. Paradisi vox Græcis est quivis hortus cultior & amœnior. Xenophon putat esse nomen Persicum; Suidas deducit à verbo temporis futuri, Δέσω, quod est potabo seu irrigaba, quasi dicas hortum irriguum: vel ab herbarum proventa copioso, siquidem Παρὰ δένδρων volunt esse collectionem herbarum. Alij deducunt à παρὰ καὶ δέω, vincio, ligo. Atq; hujus quidem vocis Paradisi fit mentio in Cantic. Cantico. 4. v.14. Eccles. 2.5. Ezech. 28.13. Luc. 23. 43. Apoc. 2. 7.

54. Estq; vocabulum παράδεισον, quod aut propriè, aut

Metaphoricè sumitur. Metaphoricè significat, vel locum aeterna beatitudinis, Luc. 23. 43. 2. Cor. 10. Ap. 2. 7. vel quamcunq̄ rem jucundam ac dilectam, Cantic. 4. 13. vel locum, ex quo Diabolus cecidit, Ez. 28. 13. vel Ecclesiam, prout quidam Patres hanc vocem allegoricè usurparunt.

55. *Propriè significat terrenum & visibilem locum, qui Dei manibus seu potentiâ fuit in Eden ab Oriente constitus, omnis laticia & voluptatis promptuarium, optimâ temperie cæli, aère subtilissimo & purissimo, plantis semper virentibus, suavissimûq̄ odorem spirantibus, plenus lumine, universa sensibilis venustatis & pulchritudinis intelligentiam excellens, mirificè congruens dignitati primi hominis, in quo nullum animal habitavit, sed solum Homo; quemadmodum Damasc. de Orth. fide lib. 2. c. 11. Basil. Orat. de Parad. & Isidorus lib. 14. Etymol. c. 3. eleganter hunc locum describunt.*

56. *Fuit tamen res controversa inter Patres: Num Paradisus fuerit verus & terrenus quidam locus? Omnes circumstantia, quas Moses in Paradisi descriptione Gen. 2. refert, non alium, quam visibilem locum admittunt. Unde Chrysost. lib. 13. in Gen. Ideo, ait, Moses describens Paradisum, nomen loci, in quo erat, scilicet Heden, & plagam orientalem, quam spectabat, & nomina fluviorum tam accuratè enarravit, ut non liceret nugari volentibus decipere simpliciores, dicendo, nullum fuisse in terrâ Paradisum, sed in cælo. Et Gen. 13. 10. Moses terram Sodomorum & Gomorrhæorum propter loci amœnitatem confert Paradiso, quem Deus ipse plantaverat.*

57. *Dubia admodum est questio de Loco Paradisi, Ubi-nam hortus iste fuerit situs? Resp. In terrâ ad Orientem Gen. 2. 8. & quidem in Eden, qua vox, ut dictum est, certam quandam regionem notat, qua opposita putatur fuisse Judæa, sita in parte Babylonia, in finibus Arabia & Mesopotamia, ubi Tigris & Euphrates præterlabuntur. Lutherus patat hunc hortum ante diluivium in Oriente occupasse aliquot fertilissimas regiones*

giones, totam scil. Syriam, Mesopotamiam & Ægyptum. Alij alias de Loco Paradisi fovent sententias, easq. ridiculas & ineptas, de quibus consulatur Magister Sentent. lib. 2. sent. dist. 17. Alij cælo fuisse proximum, alij sub Æquinoctiali, alij ad sphaeram Luna collocabant; Alij eum in altissimo loco & quidem remotiore à nostro hoc inhabitabili orbe, ubi nunc vivant Enoch & Elias, constituunt.

58. Præterea controvertitur. Sit adhuc nec nè talis aliquis hortus seu Locus? An verò Paradisus fuerit universali isto diluvio submersus? Communis est & verosimilis sententia eorum, qui docent S. Angelorum custodiâ usq. ad universam illam diluvij inundationem durasse; postmodum verò fuisse submersum, ut nec vestigia istius loci amplius apparuerint. Rationes sunt hujus assertionis probabiles. I. quia aqua diluvij fuerunt 15. cubitis altiores, quam montes universa terra, etiam altissimi, Gen. 7. 19. II. quia non necesse fuisset arcam à Noâ construï, si Paradisus ab istâ inundatione planè libera esse potuisset. Nos hodiè queramus illum Paradisum, qui est sedes Beatorum, sinus Abrahæ, manus Dei, terra viventium, divitiarum & bonorum DEI, quam primus Adam perdidit, & secundus invenit.

59. Porro de studijs, exercitijs & occupationibus primorum Parentum in Paradiso queritur, Quænam fuerint? Opera præstabant partim Interna, seu spiritualia divina sapientia, dum in contemplatione DEI, ejusq. amore toti ACQUIESCEBANT: partim Externa seu corporalia IN TERRÆ CULTURA, non quidem laboriosâ, sed deliciosâ, ut August. lib. 8. super Genes. c. 10. loquitur.

60. Anxiè vero fuit quaesitum & nunquam satis firmiter discussum: Quam diu Adam fuerit incola Paradisi? seu Quam diu in statu integritatis permanserit? Alij statunt Adamum cum suâ Evâ non ultra unum diem in Paradiso vixisse. Alij asserunt hominem tertiâ horâ sexti diei formatum, sextâ hora peccasse, & nonâ ejectum, sicut & Christus horâ sextâ

fuit cruci affixus, & nona pro nobis mortuus. Sed non videtur
vero simile in tribus istis horis Adamum ad imponendum omnibus
terrestribus ac volucribus nomina, tempus habuisse. Alij anno
demum septimo ipso die effectionis Adami, & ipsum Adamum &
Evam Paradiso fuisse expulsos volunt. Verum non nobis hac
in re quidquam determinare convenit. Rectè enim Cedrenus:
& Ἡ ἑξήκοντα παροιστήσω τὴν τῆς Γεωμετρίας γεωγραφίας ἰσχυρῶς ἀπὸ ἀγίας
πνεύματος. σεσημασμένα; ἵνα μὴ ἀπὸ κέρδους μικροῦ μεζόλιον
Ἰστωρ ἀσώμεστα Ἰσπίαν. Non ulterius inquirenda sunt, quæ Spi-
ritus sanctus in divinitus inspiratis libris reticuit, ne loco exigui
lucris, magnum nobis accersamus damnum.

61. Cæterum huc refertur Ornatus Paradisi, cujus partes
principales erant Flumina & Arborea.

62. FLUMINA, quæ ex Eden ad Paradisum irrigan-
dum defluebant, connumerantur quatuor: Tigris & Euphra-
tes, qui Mesopotamiam ambiunt, Pison & Gihon, de quibus
variant Geographi; quamvis Gihon nonnulli interpretentur de
Nilo Egypti & Ethiopia, flumine celeberrimo, septem ostijs in
mare Mediterraneum influente, cujus fons seu ortus adeo est in-
certus, ut in proverbium abierit de his, qui valdè ambigua inqui-
runt illos Nili caput quærere.

63. ARBORES sine omni dubio fuerunt, & ad spectan-
dum jucundissima, & ad fruendum suavissima; inter quas dua
erant maximè singulares, quibus mysterium quoddam erat addi-
tum, Arbor Vitæ, & Arbor Scientiæ Boni & Mali.

64. ARBOR VITÆ pro diversitate Interpretum va-
riè accipi solet. Alij secundum literam μετὰληθικῶς & effecti-
vè interpretantur Arborem vitalem, phrasi Ebraeorum, quod lon-
gava vita inde vescentibus fuerit parata: seu quod divinitus
hanc vim acceperit, ut qui ex istius arboris fructu comederet,
ejus corpus stabili sanitate & soliditate firmaretur, nec ullâ infr-
mitate, vel ætatis imbecillitate in deterius, inq. occasum laberetur.
Quæ sententiâ amplius probatur ex infâusto eventu, ut quod
Proto-

Protoplasti eam ob causam ex Paradiso eieci leguntur, ne ad hanc Arborem vita accedens homo comedat, vivatq; in aeternum. Vero simile itaq; videtur fuisse ejusmodi arborem, cujus esu immortales reddi potuerint peccatores, vel cujus vis in proroganda vita longaevitae maximè constiterit.

65. Sed quarenti, Cur homini non concessa fuerit facultas fruendi ista arbore? Chrysostomus respondet, fuisse id divina Misericordiae argumentum, quòd videlicet satius erat, poni terminum ac finem miserijs & calamitatibus lapsum subsecutus; quàm ut aeternâ infelicitate infelix homini esset aeternitas. Sed & ad aliud vita lignum erat accedendum peccatoribus, ad Christum scil. Apoc. 22, 14. Alij sic dictam putant hanc Arborem, non quòd vitam conferret, sed quòd symbolum & ceu $\mu\upsilon\eta\pi\upsilon\beta\alpha\upsilon\upsilon\upsilon$ vita divinitus accepta esse debuerit; imò quòd symbolum signi & ligni crucis ac ipsius Christi, qui verè vita est, Joh. 1, 4. & 14, 16. & peccata hominum in ligno crucis expiavit, 1. Pet. 2, Col 3. hoc vita lignum extiterit.

66. ARBOR scientiae BONI & MALI non à natura, quòd ipsa scil. sciret Bonum & Malum, aut quòd in se esset mala; sed vel ab officio, ut quòd arbor illa erat index divina voluntatis, qua verè est regula omnis boni & mali, & docebat, quid bonum, quid vè malum esset; vel ab occasione rei postea secuta, seu ab eventu futuro nomen est sortita. Nec enim Arbor illa in se erat mala, sed quia in illâ arbore post prohibitionem erat futura transgressio, quâ homo experiendo disceret, quid interesset inter obedientiae bonum & inobedientiae malum; non quòd ante lapsum non noverit utrumq;, sed quòd non utrumq;, pariter expertus. Etenim bonum sciebat per prudentiam pariter & experientiam; malum tantùm per prudentiam seu notitiam theoreticam, donec tristis ille accederet mali usus. Nisi itaq; Adamus peccasset, hac arbor fuisset quasi Templum, seu locus quidam solemnissimus, ubi Adam coluisset Deum; & occasionem colloquendi cum alijs de Deo habuisset, atq; suam obedientiam erga Deum externo opere declarasset.

Cui

67. Car autem hujus potissimum Arboris usum Deus interdixit? Legem Dominus constituit de abstinentiâ hujus arboris, interminatus gravissimam transgressionis pœnam. (Quocunq; die comederis ex illo, moriendo morieris) Quæ lex verè primordialis est, & omnium Dei præceptorum matrix: quâ ceu retinaculo obedientiæ obstrictos sibi voluit homines, ne libertate arbitrii abuterentur. Ideoq; non est de ratione hujus legis quarendum. Augustinus, Homo, inquit, positus sub præcepto audiuit à Deo, noli tangere hanc arborem. Quid autem est illa arbor? Si bona est, quare non tango? Si mala est, quid facit in Paradiso? Prorsus idè est in Paradiso, quia bona est. Sed nolo tangas. Quare non tango? quia Dominus sum & tu servus, & quia te volo obœdientem non contradicentem.

68. Sed quidquid sit de terrestri Paradiso ejusq; ornatu, piè & prudenter monent Theologi, ut ne Studiosi de eo curiosius disputent & inquirant, sed de cœlesti potiùs Paradiso sollicitè cogitent, qui est clarè videre Deum à facie ad faciem, summè eum amare, & de visione & amore ejus inestimabiliter latari, absq; quâcunq; invidiâ, & habere perfectam securitatem sic perpetuò manendi, ut Bernhardus definit.

I V. 69. Quod ad causam Finalem, coincidit hæc cum Fine FINIS. Hominis; de quo Disput. singulari egimus. Neq; verò homo tantum debebat, ut creaturæ reliquæ, ostendere, quod sit DEUS, qui sit sapiens, omnipotens, æternus, liberrimum agens &c. sed ut in ipso tanquam vivo atq; visibili quodam exemplari perpetuò lucentes proprietatum quarundam divinarum simulachra homini in creatione insita, utq; Deum rectè agnosceret, coleret, & glorificaret. Quocirca hæc esse prima & summa hominis cura debuisset, τὴν εἰκόνα & τὴν ἑστίαν, καὶ ἡ τοῦ θεοῦ ἀρχέτυπον ἑξομοίωσιν, Imaginem sibi impressam conservare, & Deo Archetypo fieri similem: seu, ut Plato ait; ὁμοιωθῆναι θεῷ ut Deum opificem monstraret, ejusq; gloriam illustraret. Verumenimverò quis non meritò miserimam deformationem imaginis divine lapsu Protoplasto-

rum

rum factam & carnali propagatione in nos omnes derivatam
declararet.

70. Fuit tamen in controversiâ olim positum, & adhuc di-
sputat. Num DEI Imago lapsu primi hominis penitus
fuerit amissa? An v. homo adhuc nascatur cum Imagine
DEI? Si imago Dei propriissimè intelligeretur. I. de generali
quâdam congruentiâ & analogiâ, quâ anima hominis exprimit
quâdam mōe Deâ, ut quod est immortalis, spiritualis, intelli-
gens &c. II. de principijs naturâ notis. III. de dignitate impe-
rij, quod homo in omnia animantia exercet; fatemur utiq; Ima-
ginem Dei in homine non totaliter esse amissam, sed particulam
quandam superesse tanquam rudera quâdam prestantissimi edi-
ficij. Verumenimverò ut monstratis Babylonis & Jerosolyma ru-
deribus & muris non apparent ipsæ civitates, quæ olim fuere
splendidissimæ: ita si *καὶ ἐν τοῖς* cum Scripturâ velimus loqui, dicen-
dum est Imaginem DEI peccato primi hominis penitus esse amif-
sam, nosq; eâ destitui. Comprobat hoc, I. collatio hominis ante
lapsum & post lapsum. Hominis ante lapsum natura perfectè
fuit conformis Legi DEI Deut. 6, 5. Lev. 19, 18. Hominis verò
post lapsum mens est tenebris ignorantie obducta 1. Corint. 2, 4.
Eph. 5, 7. & voluntas ad omne bonum mortua Rom. 8, 6. Ge-
nes. 6, 5. & 8, 4. Imò omne figmentum primi hominis fuit bo-
num. Gen. 1, 31. nunc autem est malum. Gen. 6, 5. II. Colla-
tio Adami & Christi. Ab Adamo omne malum hereditario jure
accepimus, imaginem scil. peccato & morte deformatam: à Chri-
sto gratia donum, seu imaginem justitiæ & vitæ decoratam
Rom. 5. Hinc Apostolus 1. Cor. 15, 49. Sicut imaginem terreni
gestavimus, gestabimus etiam imaginem cælestis. III. quia Apo-
stolus nos hortatur ad reparationem Imaginis Dei. Exhortatio
autem ista non haberet locum, sed foret inepta, si recuperare ju-
beremur, quæ adhuc posidemus. IV. Consequentia necessaria;
utpote quòd ex novâ DEI creatione in nobis restituiamur: Col. 3.
10. quòd renovatio Imaginis Dei sit *μετεμόρφωσις*, quâ priori
E formâ

formâ, quam veterem Scriptura appellat, abolitâ ac depositâ in-
troducatur nova: 2. Corinth. 13, 18. quod in Spirituali agnitione
Dei consistat imago in nobis restituta: Col. 3, 10. quod hæc Imago
olim Adamo concreata & nunc restituta consistat in verâ i. e.
solidâ, non fucatâ, iustitiâ & sanctitate. Eph. 4, 24.

71. Hinc orta est alia quedam lis & controversia in Eccle-
sia Christi: Utrum naturalia in homine permanserint, sint-
que adhuc, integra? Si *ἀπό τῆς* de naturâ hominis, qualis &
à Deo fuit primùm condita, & nunc est post lapsum, quaritur,
negamus mansisse integra. Quia enim Imago DEI essen-
tiam & naturam hominis non tantùm gradu aliquo perfecit,
sed etiam in naturalibus illis direxit & conservavit, idè amisse
post lapsum Dei Imaginis dono, necesse fuit aliquid vitij & deprava-
tionis ipsis etjâ naturalibus dotibus accedere, atq; adeò tum in-
tellectui, tum voluntati contingere, quod sit præter naturam, i. e.
ut intellectus post lapsum etjâ falsum apprehendat, voluntas
etjâ velit malum, non ex naturâ suâ, nec secundum naturam,
sed ex vitio, quod natura accessit, & præter naturam. Si au-
tem de naturâ hominis, qualis in Adamo post lapsum fuit, quæsi-
veris, rectè affirmamus, Naturalia in homine esse integra. Sunt
vero duplicia ea Naturalia: alia Bona, alia Mala: Bona sunt, hu-
mani corporis & omnium membrorum dispositio & habitudo na-
turalis, & anima humana vis ac libertas in contemplatione &
gubernatione rerum terrenarum. Mala naturalia sunt pecca-
rum Originis, ignorantia in mente, aversio in voluntate. Hisce
respectibus observatis Lutherus in 2. cap. ad Gal. tom. 4. Jen.
fol. 58. absq; contradictione ullâ modò ait, modò negat; Na-
turalia in homine mansisse integra.


72. Præterea cum ex sacris literis constet, Reparari &
innovari DEI imaginem, non abs re quaritur, Quomodo
illa in nobis reparetur? Resp. Triplici modo. I. Reparatione
Christi, in quo nos sumus nova creaturas 2. Corinth. 5, 17. in quo
gestamus imaginem celestis Adamis 1. Cor. 15, 49. in quo, cetera
vire-

virorum despectissimo Esai. 43. 3. nos in pristinam dignitatem sumus erecti. II. Innovatione nostri, quando veterem hominem deponimus, Epk. 4. 22. membra mortificamus, Col. 3, 5. novum hominem renovamus. Col. 3, 10. III. Consummatione Dei, qui omnia erit in omnibus 1 Cor. 15. Tunc enim summus erit & perfectus gradus, cum in futurâ gloriâ Christo nostro reparatori plenè conformabimur. Phil. 2. 21.

73. Ex cujus quaestionis explicatione liquet, Annon à sanctis parentibus ad liberos traducatur & propagetur Imago Dei? quod quidem simpliciter inficiamur. Quamvis enim Adam post lapsum fuerit ad primam illam imaginem Dei per regenerationem restauratus, non tamen gignere potuit ad DEI imaginem liberos. Equidem si parentes generarent secundum spiritum, quatenus sunt renati, tunc utiq; ex sanctis & renatis non nisi sancti nascerentur. Jam verò quia generatio est opus naturæ, & fit secundum carnem, in quâ post lapsum manet peccatum, quamdiu homo vivit in hoc seculo: idcirco ex sanctis etiam parentibus nascuntur liberi non renati, non sancti, sed filij iræ. Ephes. 2. siquidem renascentia oritur non ex sanguinibus, non ex voluntate carnis, non ex voluntate viri: sed ex Deo, qui non per carnalem natiuitatem, sed per lavacrum regenerationis donum renascentia operatur & confert.

Johan. 1. & 3.





A D

Doctiss: atq, Ornatissimum Juvenem,
DN. AMBROSIUM GRAPENTINIUM,
Amicum singularem.



Xperiâre animi ut vires, in IMAGINE DIA
Scrutandâ, tempus fallere tî volupe est?
Quam benè! Mundi opifex conatui IMA-
GINE DIA

Adfulget clemens, non sine honore tuo.
Ha GRAPENTINI! Quid IMAGINE dulcius Illâ?
An quidquam Sancto hoc Lumine splendidius?
Quas sub Præsidio insignis virtute SLEDANI
Defensare juvat te modò, Amice, Theses.
Si sic, ut pergis, perges, contexta sequetur
A Daphne cultis, crede, Corolla comis.

M. Paulus Rutingius
P. L. C.



E Heu quàm miserum, genus, & quàm tri-
ste subivit
In primo, nostrum, lapsu, quàm flebile fatum!
Non


Non modò multijugâ rerum præcelluit istud
Cognitione, DEI sed & insuper ante lubentî
Mente, Creatoris, suscepit, amabile, iussa.
Nec modò respondens, conforme per ònia, donis
Extitit exemplar Fovæ; sed nulla timebat
Morborum aut sævæ furientia spicula mortis.
Nunc postquàm infelix, infausto sidere, pomû
Dextera, proh, vetitû decerpfit, corda tenebris
Obruta sunt nostrum (dolor!) omnia; prava
voluntas

Ac mors æterna successit pessima vita.

Vita sed in solo, quomodo reparandâ, docetur
Iustificante fide, proprio non pragmate, Christo,
A te, immortalî qui gaudes nomine, fautor.

Hac, sacra, perpetuâ, ratione, fideliter instâs
Dogmata scrutari, per terræ tempora, famam
Acquires, cœli donec delatus ad arcem
Fugiter Ambrosiâ pinguescas, Nectare vivas.

M. CHRISTIANUS CHRISTIANI
Stetincns. Pom.


HOras ne, veluti bestia, tranſigat;
Curandum est homini; sed melioribus
Conſu-

Consumat studijs aurea tempora.
GR Apenthine facis tu quod & AMBROSI.
Nam verè es fugiens pigritiæ malæ,
Vitæ pensâ tuæ rebus in Entheis
Consumis, levibus nec caperis. Satis
Vel sola *ἐξέτιος* (cætera jam premo)
De summi effigie comprobat hæc Dei,
Humanis animis indita quæ fuit;
Heu, sed fraude truci Dæmonis improbi
Deformata nimis! Quem dolor & stupor
Hic non concutiat, damna ea si libret!
At Christi meritum rursus id eluit,
(O res perpetuâ dignâ vehi chely!)
Conformes faciens nos iterum Deo.
Hæc dum tu vigili pectore ruminas,
Atq; illa ore pio strenuus asseris:
Non præsentem modò dignior, AMBROSI,
Tu vitâ; ætheræ sed quoq; redderis.
Florem istis studijs pòst quoq; consecra
Aætatis viridem; sic tibi adorea
Immortalis erit, prosperitas, salus.


*Erdmannus Reichius, Lupcensis, Megap.
benevolentia ergò subnectebam.*

Non modò multijugà rerum pr
Cognitione, DEI sed & insuper
Mente, Creatoris, suscepit, d
Nec modò respondens, conforme
Extitit exemplar Jovæ; sed nu
Morborum aut sævæ furientia
Nunc postquàm infelix, infau
Dextera, prob, vetitū decerpfit.
Obruta sunt nostrum (dolor!) e

voluntas

Ac mors aterna successit pessim
Vita sed in solo, quomodo repa
Iustificante fide, proprio non prag
A te, immortalis qui gaudes non
Hac, sacra, perpetuā, ratione,
Dogmata scrutari, per terra te
Acquires, cœli donec delatus a
Fugiter Ambrosiā pinguescas, N

M. CHRISTIANUS
Sterinen



HOras ne, veluti bestia, tran
Curandum est homini; sed

